

CL. PTOLEMAEI 113

ALEXANDRINI, IOAN. DE MONTE REGIO DVORVM
Luminarium Coniunctionem & Oppositionem: Item utriusq; eclipsim cum
modis suarum uariabilitatum, lucidissime explanat.

Liber VI.

Quo pacto tempus & locus mediae coniunctionis luminarium reperiatur.

Propositio I.



Xemplum Ptolemaei, quo primam mediam coniunctionem in annis Nabuchodonosaris extraxit. Ex eis quae praemissa sunt in superioribus Libris, habuit quod in meridie primae diei mensis Thus, quo fuit principium annorum Nabuchodonosaris, Locus Solis medius fuit. 45. minut. principij Piscium. Media elongatio Lunae a Sole 70. grad. 37. min. Argumentum Solis, quod uocauit mediij loci Solis ab auge sui distantiam, fuit 265. grad. 15. minut. Argumentum mediij Lunae 268. grad. 49. min. Et distantia mediij loci Lunae a puncto circuli decliuis maxime septentrionali, quam uocamus argumentum latitudinis Lunae mediij, fuit 354. grad. 15. minut. Diuisit igitur elongationem mediam a Sole per elongationem huiusmodi, quae fit in uno die, & prodierunt quinque dies 47. min. & 33. secunda unius diei. Fuit igitur ante meridiem primae diei mensis Thus per 5. dies, & sua cum proxima, quae praecessit, media Luminarium coniunctio. Sed mensis Lunaris, hoc est tempus ab una coniunctione media ad proximam, habuit 29. dies, 31. minut. 50. secunda unius diei. Igitur a meridie primae diei mensis Thus per 23. dies, 44. minut. & 17. secunda unius diei, fuit proxima sequens media Luminarium coniunctio. Oportuit

itaque eam fuisse uigesima quarta die mensis Thus, post meridiem minutis 44. secundis. 17. ¶ Praeterea addidit radicibus praefatis medios motus Solis, argumenti Lunae, & argumenti latitudinis Lunae in diebus 23. minutis 44. secundis 17. & exhibant in praedicta media coniunctione locus medius luminarium 24. grad. 8. minut. 50. secund. Piscium. Argumentum Solis 288. grad. 38. minut. 50. secund. Argumentum Lunae medium 218. grad. 57. min. 15. secund. Argumentum latitudinis Lunae medium a puncto maxime septentrionali computando 308. grad. 17. minut. 21. secunda. Ad similitudinem huius exempli in caeteris agas.

De tabulis coniunctionum & oppositionum luminarium differere. Propositio II.

Fabricauit Ptolemaeus tabulas deseruientes huic negotio super meridianum Alexandriae, & annos principij Nabuchodonosaris. In differetia prima posuit annos collectos & currentes per 25. ita ut in prima linea poneret annum primum Nabuchodonosaris, & in directo eius tempus primae coniunctionis mediae, scilicet, dies mensis Thus 24. minuta 44. secunda 17. Item argumenta Solis, Lunae, & latitudinis Lunae media, quae in praemissa reperta fuerunt. In secunda uero linea posuit annum uicesi-

K 3 mum